



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Gabrielis Navdæi Parisini Pentas Quæstionum
latro-philologicarum**

Naudé, Gabriel

Genevæ, M. DC. XLVII.

Qvæstio Tertia latropilo-Logica. An matutina studia vespertinis salubriora?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70696)



QVÆSTIO TERTIA
IATROPHI-
LOLOGICA.

*An matutina studia vespertinis
salubriora?*



EREOR omnino, PEYRE-
SCI DOCTISSIME, ne-
minus quidem appositè fe-
cisse videar, aut ex institu-

to tuo conuenienter, qui

Totos das tetricæ dies Mineruæ,

Dum centum studes auribus virorum,

Hoc quod sæcula posterique possint

Arpinis quoque comparare chartis.

Mart. lib.
10.

cum hoc opusculum, non ita pridem à
me jucundissimo isto in secessu beatif-
simaque Musarum tranquillitate ela-
boratum, ad te unum præsertim trans-
mittendum esse duxi; Quasi verò non

D ij

ille sis πολυμαθέστατος καὶ θαυμάσιος, seu
quod lubētius dicerem cum Homero,

ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

qui vel ab ineunte statim prima ætate,
omne tuum tempus, omne negotium
ac otium, in Literarum studijs absque
ulla cessatione, vel commodioris ho-
ræ pensatione excolendis, diligen-
ter insumpsisti? aut homines cæteros
deceat, quos gloriæ decus accendit,
quos virtutis amor inflammat, quos
studiorum ac doctrinæ præstantia con-
tinuò rapit & exagitat, non sedulò et-
iam ipsis incūbere. Maximè vero cū
ut sapienter quoque Ciceroni visum
est, *consideratio contemplatioque natura*
addam ego & cujuslibet alterius cau-
sæ, *sit animorum & ingeniorum nostrorum*
naturale quasi quoddam pabulum, & de
est homini atque erudito cogitare sit vi-
vere: ut perinde ac indefessa vertigo
cælum rotat, & Maria ipsa æstibus re-
ciprocis inquieta cernuntur, non se-
cus profecto Musarum Alumni, contigu-
nuatis studijs & in se quodam orbe resu-
deuntibus, exerceri semper ac deti-
neri

4. Acad.

vespertinis salubriora?

53

neri debeant; nec admodum esse sol-
liciti, quod istiusce literati laboris
continuatio, habitudinem omnem eo-
rum extenuet, succum absorbeat, co-
lorémque obliteret, dum præstantio-
rem longe honoris immortalisque fa-
mæ tincturam animo ipsi inducunt,
qua postquam semel est imbutus, reli-
qua facile negligit quæ corpori tatum
videntur profutura; sanitatem intel-
ligo, voluptates, otium, spectacula, so-
mnos longiores, villicas occupationes
& forensia negotia; quorum omnium
neglectu & pertinaci despicientia li-
cet Satyrographus excandescat & sæ-
pius exclamet,

Dic mihi quis furor est ne moriari mori?
omnes tamen qui talia cōmittunt cul-
pam ejusmodi non amoluntur aut ne-
gant, sed quod aliquando respondit
unus ipsorum amico suadenti ne tanta
sedulitate pensum vrgeret literarium,
in hoc ipsum communi omnium nomine
qui per improbos labores ad gloriæ
resulmen festinant dictum voluere,

Esse parum Libros studiumq; salubria
narras,

D iij

*Haud nego, sed quàm non viuere,
malo mori.*

Pro Mar-
cello.

atque hoc appositè quidem non minùs
quàm verè si maximi Oratoris iudicio
nobis in hac Controuersia experim-
dum fit, apud quem *non vita hæc dicen-*
da est qua corpore & spiritu continetur,
sed illa dumtaxat qua viget memoria se-
culorum omnium, quam posteritas ab-
quam ipsa aternitas semper intuetur,
sordidum propterea ac illiberale fit
mnino, abjectis humilibus curis
præstantiores illas animum non inter-
dere, quæ nos, velut optimè dictum
à Poëta Stellato,

In Zo-
diac.

*Disimiles pecudum reddunt similèsq[ue]
deorum:*

lib. de Im.
lib. de vit.
pr.

imo verò tantum abest ut corpori
lestæ sint etiam per longissimum tem-
pus indefinenter continuatæ, ut
psamet contemplatione, & perpetu-
mentis agitatione, nihil esse ad vitam
utilius producendam Marsilius Fic-
nus & Cardanus multis quidem oste-
dere conati sint, atq; unius etiã The-
phraisti satis hoc ipsum confirmet
teritus.

vespertinis salubriora? 55

Nam vegetus Theophrastus erat firmusque labore,

Laxavit postquam membra labore, obiit.

enim-verò ut hæc omnia ita se habeant
SAPIENTISSIME PEYRESCI, non i-
bis tamen inficias opinor, quin nobis
assidua studiorum contentione eo us-
que tandem defatigatis, ut quod face-
tè dicebat Comicus, *Lumbi sedendo, o-*
culi videndo doleant, gratissima tunc
adueniat alternæ quietis vicissitudo,
seu vires ipsæ nouo spirituum prouen-
tu instaurandæ sint, seu coctio mate-
riæ quæ hos suppetere debet procuran-
da, seu denique facultati principi re-
laxatio quædã indulgenda; unde pro-
fectò cum jam apud omnes constet
cessatione non minus quàm actione
vitam hominum definiri, nec secus in
studiorum ratione quàm cæteris rebus
quæ tractantur in vita modum hunc
certosque fines seruari debere,

Quos ultra citràque nequit consistere Horat.
rectum,

consentaneum etiam erit existimare,

D iij

studia ipsa non tam impetu quàm ratione esse moderanda; Si quidem ex Eumenio Rhetore, Palladis Gymnasia iisdem se prorsus legibus firman- quibus & Martis Castra; in illis verò non sola quidem militaris virtus habetur constanter in acie stare, fortiter ferire, intrepidè hostem instantem excipere, nutantem impellere, cadentem urgere; sed gradum præterea quoties opus erit referre, quiescere in præfidiis, aut in ipsis Pyrrichiam saltare, Hastiludia miltcere, Iocisque similibus animũ laxare simul & exercere; quod ipsum à nobis pariter in Castris Musarum obseruari, rationi certè conuenientissimum est, nisi statim velimus, frequentiori illa & tumultuaria ac prorsus incondita exercitatione

In pejus ruere, & penitus sublapsa referri

Omnia.

ac proinde cum hoc unum jam per se manifestum existat, quod alioqui gravissimus vir Cælius Calcagninus, majori quondam sententiarum & verborum ap-

rum apparatu, suis in opusculis demonstrandum suscepit, nempe meditationis æque ac intètionis studiorum curam, in ratione vitæ subducenda habendam esse; istud etiam quod ab illo sequitur tibi, vir Clarissime haud difficulter persuasum iri nullus dubito, certis videlicet tantum atque distinctis diei partibus Musis ipsis vacandum esse, reliquis autem vel civilibus negotijs incumbendum, vel si hæc non superpetant, Lubentiæ potius ac Vitulinæ, Deoque omnium Urbanissimo & suavissimo Gelasino litandum, quàm non se quocunque tandem modo à grauioribus illis studijs remittere; Vnde cum magna pars sit sapientiæ humanæ, suo quæque tempore facere; & omne negotium tunc vel auspiciari vel tractare, cum maximè conuenit, ne importuna pro opportunis, néve intempestiua pro tempestiuis arripiamus sectemurque; Hic in primis sedulò diligentèrque inuestigandum est, quænam ad istud studiorum munus subeundum, temporis differentia potior habenda sit, Ante-

lucani scilicet an vespertini : quamquam ut ingenuè fatear , quæstio hæc sit admodum ardua , & quæ negotiū vim mihi faceffit in maximam , præsertim cum videam ex una parte , omnes ferè gravissimos auctores , velut mutua quadam animorum consensione , pedibus in hanc ire sententiam , quod Aurora , si cum nocte vel etiam reliquis diei partibus conferatur , videatur omnium Musis gratissima commodissimâque excolendis , unde etiam profectò est , quod non modo naturæ sed omnis sapientiæ Genius Aristoteles , ex officio esse optimi & in priuata cōmoda bene affecti Patris familiâs monet , ortum Solis diligentia ac sedulitate sua præuerrere , quando quidem , ut ipse subdit , *hoc tum ad sanitatem tum vero etiam ad curam rei familiaris , & ad studium Philosophiæ prodest quamplurimum* . Quod item , licet non adeo facili atque explanata verborum sententia , prorsus videtur censuisse Hippocrates noster Latinus , dum non quidem pertransennam aut aliud agendo (quod aliqui

*lib. 1. c. 10.
zomic. c. 1.*

aliqui forsan arbitrari possent) sed consultò & veluti destinata opera, toties in primo illo & pereleganti de Re Medica libro, Lucubrationes quæ nondum absoluta ciborum concoctione fiunt proscribit, tanquam damnosas non illis modò qui capite sunt imbecillo, aut ventre debili, cæterisq; quos assidux Lippitudines, grauedines, destillationes, ac Tonfillæ male habent; verum etiam per se valentibus ac salutis inculpatæ, si modo istius conseruandæ studio curaque detinentur: ex quo sanè factum est, ut reliqui postea Medici grauissima istorum authoritate, qui jure principes audiunt, commoti, in hanc etiam sententiam tanquam Pedanei iudices descenderint, quòd matutinum tempus, quouis alio, & præsertim nocturno, Mentis nostræ laboribus ac exercitijs sit longè magis accommodatum; ut proinde nec Mar- filij Cagnati fidem hic appellare mihi honestum sit, nec Valeriolæ, aut Syluatici, Iuliiue Alexandrini & cæterorum qui ejusdem omnino sententiæ

*lib. 2. de
Gymnast.
c. 17.*

2. locorum

c. 17.

*lib. de Me-
dic. c. 7.*

*lib. 28. de
sanit. tu-
end. cap. 3.*

fuerunt, ne quod turpe admodum esse censuit Seneca, opinionem hanc notissimis fulcire videar, quæ adeo tamen usu ipso trita atque recepta est, ut nullus ferme de ipsa unquam visus sit dubitare; Neque enim aliam opinor ob causam, primæ horæ diei, seu quemadmodum explicant viri tres celeberrimi Nonnius Marcellus, Andræas Alciatus & Ioannes Sauaro matutinum tempus, melior pars ipsius diei vocantur à Virgilio in istis versibus undecimi Æneidos:

c. 9. de cõp. d. q. Fr.

In pau. tit. de verb. sign.

At Sydenij epist. 2. lib. 1.

Nunc adeo quoniam melior pars acta diei est,

Quod superest lati bene gestis corpora rebus

Procurate viri, & pugnam sperate parati.

Menech.

aut ex Plauto

Dies quidem ad umbilicum dimidiatus tuus est.

nisi quod probè jam refectionis recreatibusque per somnum & quietem viribus, instauratâque humidi nostri natiui & spirituum substantia, homines tunc vegetiores facti, multò plus operis & laboris

laboris exantlare possunt, in septem primis horis, quibus pars diei melior & potior circúscripta definitur, quam supremis quibus veluti continuo motu languentes, non eadem alacritate negotia perficiunt qua priori illo tempore fuerant incepta continuatáque; ut propterea meritò quoque dixerit Suidas ἀρχὴν ἡμέρας εἶναι αὐτὸ ὅλον & nescio quis alius

*Mane tibi surgendum ut vita suppetat
usus,*

nes alia de causa diluculum ipsum ὄρεος vocetur à Græcis, nisi quod homines ad opera excitet, unde & Poëtae si fabulas illis ac nugas dempseris, aliquid vix habent ad exprimendum signanter & graphice Solis exortum, præter laborum commemorationem quibus ipse videtur occasionem afferre, sic enim Virgilius,

Aurora interea miseris mortalibus al- Aeneid. ii.
nam

*Extulerat lucem, referens opera atque
labores.*

Et Ovidius

eleg. lib. 1. Inq̄ suum miseros excitat ales opus.
Horatius etiam,

Satyr. 6. *lib. 2.* Matutine pater, seu Iane lubētius audēs,
Vnde homines operum primos, vitæq̄
labores
Instituunt.

Quin & Seneca

in Hercu-
le 1. ven. Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitque domos.

sed omnium magis expresse ac vulgari
Parcemię convenienter, aurora studium
& iter adjuua. Quintus ille,

Excitat auroram lucis pranuncius A-
les,

Exiliat stratis ut sedula turba cliētum
Quique viam carpit, vel agros proscin-
dit aratro.

Quare cum hæc videatur esse nõ scri-
pta sed nata lex, nec æri aut marmo-
ri, sed omnium qui per honestos la-
bores vitam transigere cupiunt cordi
ac animo incisa, ut statim impigrè pri-
misque cadentibus astris operi se ac-
cingant, cur amabò hoc istud Philo-
musis hominibúsq̄ Literatis, qui
omnium maximè laudum igniculis
accen-

accendantur, non erit etiam persuasum? præsertim verò cum Lycophron *In Alexandra.* haud obscure, quod moris tamen habuit, Auroram ipsam alato Musarum equo deferri solitam contendat; & antiquioris sapientiæ consulti, Parnassi fontem ab eodem Pegaso reclusum fuisse fabulentur, quod id cum oritur sydus socio sole ut in Aprili & Maio, matutinis horis optimè fælicitérque studia tractentur, & pleno veluti gurgite effundant se ingenij vires; quo item sensu notat Pausanias, Mineruæ *In Eliac.* cassidem gallo gallinaceo, aue nempe omnium vigilantissima, perpetuo insignitam fuisse; & Apollonius apud Philostratum discipulos suos admonebat, oportere eum qui rectè philosophari velit, adueniente Aurora cum Dijs versari, procedente autem die de Dijs loqui, & reliquum postea tempus humanis rebus & sermonibus impendere; Mineruam scilicet Apollinem Musasque studiorum Præsides communi Deorum nomine designans, utpote quibus speciali cultus prærogati-

ua, horę ipsę consecratę erant quę apud Homerum cęli foribus assistere dicuntur, Quadrigamque & equos Soli prodeunti mane pręparare: quę cuncta, si temere ab antiquis, & tanquam nugas canoras demulcēdis tantum auribus excogitata fuisse credamus, nę profecto graviter errare videbimur, & eorum institutum qui nihil unquam absque summa ratione fecerunt prorsus ignorare. Siquidem cum illi qui excolendum disciplinis pręstantioribus animum destinarint, hoc ipsum pręstare nullo modo possint, si animalium spirituum pręsidio, seu maius pręcipuo ratiocinatricis animę partis instrumento destituantur; profecto ut hos quam valde illustres & copiosos producere possint, captanda illis erit studiosę ex omnibus occasio ac propterea cum illi non ex puriori tantum magis que elaborata sanguinis portione puri, nitidi, sinceri splendentesque producantur, verum etiam ex attracto naribus ambiente nos aere tenui lucidoque, tenues itidem lucidique

vespertinis salubriora? 65

diſque & limpidi proueniant ; certè
hoc equidem in primis curæ illis eſſe
debet, ut contra id quod male opina-
tur Lucretius dum ait,

*Nec refert quicquam quo victu corpus lib. 4.
alatur,*

*Dummodo quod capiat concoctum di-
dere poſſis*

*Artubus, & ſtomachi humectum ſer-
uare tenorem;*

ciborum delectum habeant, quo nec
affatim ingerantur; nec confuſè, nec
eorum neglecta conſideratione, quo-
rum ut natura laudabilior eſt, ſic etiam
alterationi paratior, calorique natio
minus exiſtit moleſta. Sed nec ambi-
entis conſtitutio negligenda eſt, quæ
ſi ratione locorum ſpectetur, magnam
plerumque ſolet in hominum animis
diuerſitatem efficere cùm, ut dixit o-
ptimè vates egregius,

*Tales ſunt hominum mentes, quali pa-
ter ipſe*

*Iuppiter aſtrifera luſtrauit Lampade
terras.*

nec fruſtra quidem Iuuenalis, cum de *Satyr. 10.*

E

Democrito Abderita loquutus fuisset
hoc velut epiphonema subjunxit,

—*Cujus sapientia monstrat
Summos posse viros, & magna exem-
pla daturos,
Veruecum in patria crassoque sub aë-
nasci.*

si verò consideretur habita temporum
differentiarum ratione, procul dubio
certum est, aërem ipsum quandoque
dem ex oriente Sole, non secus pro
ctò ac ineuntibus vere & æstate pur
existit magisque defæcatus, limpid
res etiam spiritus procreare totòse
splendescentes & nitidos, qui seu fil
la vocum modulatrice in cordis
bella deducti; seu narium siphunc
in cerebri cavernulas & ventricul
recepti, functiones omnes mirè ad
uent, sed majorem tamen in mod
principes, quæ horum nitido splend
re recreatæ accessionem quandam
bi fieri percipiunt, ac veluti cogitat
nibus suis alluionem; ut idem pro
ctò animis nostris contingat quod L
to celeberrimæ in Ægypto arbori, q
ex

exoriente Sole luxuriat, gestit, florés-
que statim explicat, quos tamen eo-
dem adulto mox contrahit; & scien-
tiæ ipsæ non aliter quàm Nili aquæ
dum Sol veluti puer existit, calorém-
que blandum atque suauem profundit
hauriendæ sint, ne cum adoleuerit, ve-
getiorésque radios emiserit, quod in
ipsis tenuius est resoluat. Neque opi-
nor mihi probro quisquam verterit,
quod Solis naturam, nascentémq; sen-
sim ac mox vigentem, eandémque se-
nescentem in nostro saltem orizonte
aspectum, hominis ætatum compara-
tione explicandum duxerim, cum nec
inepta sit talis similitudo, nec à me
quidem sed ab ingeniosissimo poëta
Alano primum fuerit excogitata, istis-
que versibus in Anticlaudio expres-
sa,

Qualiter alternans vultus ætatis in ortu lib. 4.

*Fit puer, inq; die medio juvenescit ad-
ultus,*

*Mentiturque virum tandem, totusque se-
nescit*

Vespere, sic varias species ætatis ad horã

*Sol præfert, unusque dies complectitur
annum.*

*lib. de sa-
nit. tuéd.
cap. 7.*

verum ut illuc tandem se referat unde
semel digressa est oratio, non ipsa tan-
tum ambientis aëris consideratio qui
sub auroram purior est, antelucanarum
studiorum exercitationes suadere vi-
detur; cum rationes aliæ suppetant
non minus forsitan quàm ipsa subtile
aut ad persuadendum idoneæ; & quod
dem Marsilius Ficinus, qui ex Platō-
nicorū genio superstitione multa pro-
sequitur, hanc primò velut Achille
Homericum in aciem producit quæ
cælo desumitur: cum enim, inquit, et
planetæ contemplationi & eloque-
tiæ maximè fauentes, Sol, Venus, Mer-
curius, pari fermè gradu circum-
aduentante nocte nos fugiant, die
rò ex oriente resurgant, par est om-
niò existimare, eos qui cum ipsis ad-
dia consurgunt, acutissimè etiam sp-
culari; enimvero potiore longè ex-
stimo eam, quam ab humoribus vel
succedaneam adnectit, sanguis enim
in aurora mouetur & regnat, noua quæ
continua

continuo agitatione tenuatur & clarescit, unde & spiritus omnes quibus materiam subministrat subtiliores elaborantur, & ad quævis munia prompti paratque obeunda; contra quam in nocte accidat, quæ homines reddit ad speculandum ineptissimos, ob humoris melancholici frigidi quidem atque crassioris dominium: ex quo non male Lotichius in epigrammate de aurora,

Tū vigor intus agit major, tūc pectora cælo

Ingenijs prima luce calente fauent,

Inde fluunt sacri Latices studioq; perennes

Fons matutinus fundit apertus aquas.

& eadem de causa sapienter monebat

Vitruvius, musæum seu quoduis cubi- lib. 10.

culum, in quo cum Musis rationem

habere cogitamus, orientem versus

extruendum esse. Sed quid opus pluri-

us cum instar omnium esse possit que

de somni per nocturnam quietem ne-

cessitate, & pernicie summa quam vi-

litiæ inferunt, confici potest ratio? Ve-

nim tacitus prætermittam, quod nox

sa lassitudinis, tenebrarum, silentij,

ac humidæ frigidæq; qualitatis inter-
 uentu, somnos Morpheo ipso, vel Mer-
 curio potentius suadeat, motumque
 spirituum excitet à corporis partibus
 extimis ad intimas, & ab extremis ad
 medias, in quibus cum Chylosis, tum
 etiam aimatosis primæ & secundæ
 coctionis beneficio perfici debent; qu-
 motus è diametro tamen ipsi contra-
 rius est, quem nocturnæ meditatione
 & vigiliæ excitare solent; certe nu-
 lus, quod existimo, inficias ibit, qui
 ex labefactata tam insolenti lucubr-
 tione corporis totius œconomiâ, pa-
 tes omnes exhausto laborent, sed e-
 tremæ præsertim conueniētis alime-
 ti penuriâ desiccantur, incalescant,
 lisque prouentum, ut ex Hippocrate
 constat, sanguinis recocti adustion-
 atque inde febres etiam acutôsque ma-
 bos accersant, dum interim si per-
 tius introspicias, & viscera diligent-
 explores, omnia crudis humoribus
 succis penè submersa suffocatâque
 prendes; à quibus exhalantes co-
 tinuò fumi, totumque corpus per-
 ptant

7.aph.
 aph.8.

ptantes, aut in catharros destillant, aut in arthritides se diffundunt, aut in soporosos affectus condensantur, aut in hydropes se conuertunt, aut in cachexiam immutantur, aut deniq; in morborum Iliadem degenerant,

Quorum si nomina quæris,

Iuuenal. Satyr. 10.

Promptius expediam quot amauerit

Hippia Mæchos,

Quot Themison agros autumnno occiderit uno.

nisi fortè consultius arbitrandum sit, particulares illos affectus, quos vix ulla recensio complecti posset ex eorum generalibus causis cum diuino Sene

De vitæ in acm. 2.

breuiter explicare, ἀγρυπνίῃ ἰχυρῇ, πό-

μα ἢ σιτία ὄμα, ἢ ἀπεπιότρεα ποίει, ἢ ἢ

ὅπι τὰ ἕτερα αὖ μεταβολὴ δ' ἀλύει τὸ σῶμα,

ἢ ἐφ' ὄπιτα ἢ καρθαείαν ἐμποίει id est,

fortis vigilia potum ac cibos crudos incon-

coctosque reddit, atque in diuersa matatio

corpus dissoluit, elixationemque & capitis

grauitatem adfert. Sed cur non etiam

meminit insignis ejus noxæ quam ab

isdem oculi perpetiuntur? certè hoc

ipsum satis apertè demonstrat quan-

lib. 13. cap.
29.

tum ipsi semper contractior stylus ad-
libuerit, cum nulla fit alioqui frequen-
tior studiosorum querela, nulla quam
vel ægrius ferant vel minus cautè dis-
simulent affectio; *vides*, inquit Magi-
ster quidam apud Agellium, *oculos meos*
ægros assiduisque lucubrationibus propè
jam perditos; & Horatius dum somni-
culosum Iuuenem increpat,

Nam cur

epist. 2. lib.

7.

Qua ledunt oculos festinas demere,
quid
Est animum, differs curandi tempus
annum.

ut nihil hic attineat, aut noctem quæ
oculis noceat à nocendo dictam affe-
rere, aut Salernitanorum versus Leo-
ninos in testimonium producere, in
quibus postquam multa retulerunt o-
culis quàm maximè contraria ut Bal-
nea, Venerem, piper, ventos, pulve-
rem, fumum, laborem, & similia
hoc tandem conueniunt, quod

cap. 73.

Ista nocent oculis, sed vigilare magis.
unde cum jam tot validis rationibus
matutinas lucubrationes vespertinas
salu

salubriores esse demonstratum sit; non mirum est profecto si grauiſſimus ſtudiorum cenſor Quintilianus eas ora-^{libro.}tori ſuo commēdet, dum modum quo ſe ad ſcribendum componere debet explicat, *Lucubrantes, inquit, ſilentium noctis, & clauſum cubiculum, & lumen unum velut tectos maximè teneat*, quo in ſtatu Plinium ſeniorē ſe compoſuiſſe omnino etiam arbitrandū eſt, quando à *Vulcanalibus*, ut refert ejus nepos,^{lib 3. epist. 5.} *lucubrare incipiebat non auſpicandi quidem cauſa ſed ſtudenti*; & Veſpaſianum quoque, qui ejuſdem Plinij junioris & Suetonij auctoritate, *noctibus ipſe utebatur*, ac Iulianum qui ſi Ammiano fides dimidia nocte ſemper exurgebat; ſed illuſtre inprimis eſt exemplum Theodoſij Imperatoris, quem Nicephorus Calliſtus ſcribit, ad eò ſacrorum Codicum lectioni fuiſſe addictum, ut nocte etiam eis legendis operam nauaret, lucerna ad id ſua ſponte ſe accendente, & oleum affundente, miro artificio comparata; ne quem Miniſtrorum eo labore grauaret; atque hac eadem

74 *An matutina studia*
de causa apud Iuuenalem,

Post finem autumni, media de nocte su-
pinum

Satyr. 14.

Clamosus iuuenem pater excitat, accipe
ceras,

Scribe puer, vigila, causas age, perlege
rubras

Majorum leges.

Quibus in verbis hoc obiter notandum existimo, quod eiusmodi temporis autumnalis designatione, inferre possumus, Vulcanalia seu tempus illud quo antiqui lucubrationes antelucanas incipiebant, non mense Februario, quod aliqui tamen arbitrati sunt, sed ad decimum tantum Kalendas Septembris incœpisse, quo etiam sensu dixerat idem alibi,

Dummodo non pereat media quod no-
ctis ab hora

Satyr. 7.

Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet

Qui docet obliquo lanam deducere ferro,

Dummodo non pereat totidem olfecisse
lucernas

Quot stabāt pueri, cum totus decolor esset

Flaccus, & hæretet nigro fuligo Maroni.

ncc

vespertinis salubriora? 75

nec ab eo quidem dissidet Horatius dum inter cæteras Sardi cuiusdam Tigellij actiones non inæquales modo, sed penitus monstrosas, hanc enumerat, quod

Noctes vigilabat ad ipsum

Satyr. 3.
lib. 1.

Mane, diem totum stertebat.

cujus sanè contrarium juveni quem ad studia diligenter capeflenda hortatur faciendum præcipit,

& ni

Pascas ante diem librum cum lumine, epist. 2. lib. 1.

si non

Intendas animum studijs & rebus honestis,

Invidia vel amore vigil torquebere.

ex quibus liquidò jam constare potest, quantum utilitatis ac emolumenti in se habeat meditatio, sub diluculum ipsum & nascentis auroræ benigniorem influxum instituta, ad quam tot nos excitant rationes, tot impellunt auctoritates & exempla.

Verum enimverò si non tantum noctu, quod sacro illi Arcopagitarum concilio moris erat, sed de nocte ipsa ag-

grediar ad dicendum; istius profectò
 controuersia statum eo tandem ambi-
 guitatis deuenturum esse præsentio,
 ut non ita facile sit, vel consultissimis
 etiam hominibus quid de ipsa statuen-
 dum erit liquidò decernere: quando-
 quidem nox ipsa, seu quod antiquissi-
 ma Deorum omnium mater existat ut
 placuit Orpheo, seu quod re ipsa lucu-
 brationibus obeundis omnium cēsea-
 tur aptissima, Deorum etiam auctori-
 tate & præsidio, quæ illis præfunt, se
 plurimum effert jactatque quàm ma-
 ximè; ut nihil penitus habeat aurora
 quantum ad hunc honoris titulum at-
 tinet, quo se illi vel præferre possit vel
 debeat. Neque enim ut ab auspicijs
 Mineruæ seu potius Palladis initium
 sermoni faciam, veram esse opinor
 Pharnuti sententiam quod videlicet,

in Hym-
 nis.

lib. de
 deor. nat.

οἱ δὲ πάντες καὶ ἡ γλαυκὴ, διὰ τὸ ἐμφερὲς
 τῶν ὀμμάτων, ἀνατίθενται ταύτῃ τῇ γλαυ-
 κώπιδι ὄσση id est, dracones & noctua ei
 consecrati sunt propter oculorum similitu-
 dinem, siquidem & ipsa glauca est; cum
 longè potior sit communiter ab om-
 nibus

nibus alijs fabularum mystis & Interpretibus recepta, aues illas propter facultatem quam habent de nocte non minus quam interdium videndi, vigili-
asq; dum cæteræ omnes quiescunt exercendi, studiosorum qui præ cæteris hominibus vigilantissimi esse debent, una cum ipsa Pallade fuisse symbolum; cui perbellè etiam conuenit quod Hesiodus nouem noctium concubitu, Iouem ex Mnemosyne Musas
In Theogon.
omnes suscepisse auctor est, quo sanè figmento multum Hercle ingenioso atque subtili, nihil aliud ipsum voluisse mihi persuadeo, quàm artes omnes & scientias quibus Musæ præesse dicuntur, ab eruditis hominibus, inter ipsas lucubrationes & tranquillæ noctis silentia, velut è memoriæ penu enatas fuisse procreatâsque: & sanè cum studium cuiuslibet tandem artis vel scientiæ, rectissime à Tullio definiatur
vehemens applicatio animi ad aliquid agendum magna cum voluntate; studiosusque ita graphicè depingatur à Ioanne Archytrenio, quem tamen rectius
lib. 3. Archytren. cap. 7.

Annævillanum Lelandus appellat,
 Imprimis ergo libris oculi mentisque
 lucernam,
 Et libro & cubito dextraq; innixus
 auri,
 Quid noua, quid veterum peperit caute-
 la reuoluit,
 Omnia Castalijs pede quæ sulcauerat an-
 tris
 Pegasus, exhaurit, oculis & mēte fluēt
 Nunc oculo nunc mente bibens nunc
 haurit utroque.

nescio profectò quid ipsa Musarum
 Theogoniâ aptius unquam fingi exco-
 gitariue potuisset, ad designandum
 tempus idoneum in quo homines
 totos rerum inuestigationi applicari
 possint; nocte siquidem nihil est om-
 nino quod sensus auocet, nihil quod
 oculos prouocet, non aures ipsas re-
 plet murmur inconditum quod de di-
 percipitur, nec corpus à pluteo dimo-
 uet officium quod petitur, ut seu ve-
 spere studere incipias,

Virg. Æn.

2.

*Cum jam nox humida cælo
 Præcipitat;*

seu

vespertinis salubriora?

79

seu nocte concubia perseueres,

Placidū cum carpunt fessa soporem Æn. 4.

Corpora per terras, syluag³ & sana quie-
runt

Æquora.

seu intempesta perdures,

Cum superis terrena placent,

Stat.
Theb.

tantaque rerum omnium est tranquil-
litas, ut si viueret Pythagoras cœlestis
Sphæræ harmoniam audire liquidò
posset; seu denique ulterius adhuc la-
borem extendas, profectò commodè
semper hoc ipsum efficere possis, pro-
pter quietem quæ altior continuò red-
ditur, & silentium quod augetur in ho-
ras; cuius contrarium illi proculdubio
experiuntur qui *αλεκτροφωνία* excitati
vix animum studijs applicare possunt,
inter effedas transcurretes, & fabrum
vicinum, & ferrarium inquilinum, &
Mandræ conuitia, & Institorum nego-
tia, quos tamen omnes idem galli can-
tus tecum ad opera compellit; atque
ut hæc longa consuetudine minus mo-
lesta sint, ecce dum magis illucescit
quod

Horat. e-
pist. 2. lib.
2.

*Festinat calidus mulis gerulisque re-
demptor,*

*Torquet nunc lapidem, nunc ingens ma-
china tignum,*

Tristia robustis luctatur funera plaustris

*Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta
ruit sus,*

ut quemadmodum hi qui noctu studēt
nouam semper quietem, sic illi qui in-
terdiu, nouas subinde tempestates &
auocamenta experiantur; quibus san-
& optimis studijs miror quomodo be-
ne conuenire possit, deficiente pra-
sertim illo recessu, altissimāque tran-
quillitate ad animi contentionem tan-
topere necessaria, & quā propter
Tullius magnam esse & celeberrimam
viris omnibus literatis dicebat prou-
ciam; nec immerito quidem cum il-
lius consequendæ gratia, Musæ Pa-
nassum, Druidæ Sylvas & quercus, Sa-
byllæ antra & recessus, Poëtæ ipsi vil-
las & campos sibi ad habitandum ele-
gerint, in quibus liberior esset animus
& magis sui juris ac velut in perpetuo
noctis quiete constitutus; cum solitudo

do n

do nihil aliud sit quàm nox sole illustrata, & in utraque Paradisum suum inuenire possint studiosi cū diuo Hieronymo, aut diuinitatem etiam cum

*epist. 15.
lib. 2.*

Cardano; adeo modis omnibus verum est quod dixit Plutarchus, sensum agitare parum eos qui plurimum mente sunt intenti; quam ob rem præsertim remotissima etiam ab urbibus collocata fuere Musæa, & nox ipsa Euphro- ne quasi à sapiendo Græcis dicta est, quod ipsam maximè ad eruenda ea quæ inuestigantur, & ad commentationem censerent commodare, quietemque à rebus non interpellatam exteris. Quæ opinio videtur pariter fuisse

*lib. de u-
tilit. ex
aduers. c.
desol. lib.
de curios.*

Aristotelis, dum inter alias causas cur noctu acrius audiamus quàm interdiu, hanc velut præcipuam assignat, quod animus de die varijs negotijs distractus, minus etiam accommodat se illis quæ à sensibus percipiuntur, unde & prouerbium refert valde familiare & usu receptum est, *ὄρα ἢ ἀκούει*: id est, *mens videt, mens audit*; à quo istud alterum facile deriuatum crediderim;

*sect. 11.
probl. probl.
blem. 33.*

F

re-
na-
stris
ento
idēt
i in-
s &
fan-
o be
pra-
ran-
tan-
ere
man-
ouit
m il-
Par-
is, Si
ū vil-
n ele-
imur
petur
olitu-
do n-

cujus meminit Eustathius Homeri
 scholiastes ἐν νυκτὶ ἢ βελῆ, *in nocte con-*
silium, quod nempe eo tempore mens
 nostra defæcata imaginibus & spectris
 rerum in memoriam incurfantium,
 studijs & exercitationi aptior sit, se-
 cūmque quàm familiariter esse & col-
 loqui possit; ut jure quidem veteres
 noctem consilij, prudentiæ, eruditionis
 nutricem effinxerint; Musarūmque
 signis somni simulachrum, ut ex Pa-
 sania colligitur, comitem esse volue-
 rint perpetuum. Sed & Cadmus, qui
 Græcis primus omnium literarum lu-
 men intulit, non alia ratione Lychnus
 Heliconius, dictus est nisi quod ipsi
 arbitrarentur peruigili studio indefe-
 sisque lucubrationibus omnes secur-
 artes & scientias ex Helicone in Gra-
 ciam transtulisse. Imo verò plerosque
 literatorum videmus, quò famam ere-
 ditionis laboribus suis conciliarent
 noctis titulū ipsis præfixisse, ut exem-
 plo sunt noctes Atticæ Gellij, Parisinæ
 Henrici Stephani, Brixianæ Beteræ, Ro-
 manæ Curtij Lancilotti, Tusculanæ Ca-
 riophylæ

Pyrophylli, Africanæ Sigismundi Pauluzij, Solitariae Ioan. Baptista Persona, & Nocturnæ exercitationes Francisci Rubei, quas omnes si non minus quàm Demosthenis enthymemata, lucernam ostendere dixerim, haud abs re profecto quidquam asseruisse videar, aut nocturnæ lucubrationis præstantiam nimium eleuasse. Verum ut à philologia ad physiologiam quæ Medicorum propria est sensim deflectam, quo vespertinum tempus utriusque disciplinæ fauentibus calculis valdè studiosis opportunum pronücietur; auctoritatem in primis habemus Hieronymi Cardani, præcipientis ut studiosus nec ante Solem exorientem surgat, nec post horam ab ejus ortu decumbat; cuius sententiæ licet nullas rationes adduxerit, has tamen illum habuisse valdè probabile est, quod aëre nondum à crassioribus fumis, qui noctu præsertim vigent condensanturque, radijs solaribus expurgato, periculum imminet ne in corpus transpirent, aut vilijs; quod notat Galenus, extimè ca-

lib. 4. de sanit. tu- end. c. 16.

Cöment. 1. lib. 1.

aphorism.

le factum contraria qualitate immutēt,
 néve in caput ipsum subeant, noxis
 quas ab utroque crepusculo provenire
 Ioubertus & alij docent, nimis certè
 quam obnoxium; Deinde verò quod
 cerebro & cordi, totius œconomia
 nostri corporis, & functionum quæ
 studia complectuntur moderatoribus
 præcipuis, posterior somni pars, lon-
 gè suavior utiliórque priori existat
 quæ ventriculi tantùm ac jecoris us-
 bus videtur esse destinata; unde & il-
 lud experimur continuò, quod licet
 aliquis per longam noctem lucubræ-
 tiones extenderit, si à media nocte
 diluculum usque dormire pergat, is
 citius omnino se habebit, eo qui vi-
 versa noctem à somno incipiet, ipsa
 que postea vigilijs terminabit; forte
 quod peracta sub matutinum tempus
 ciborum elaboratione, benigni suavitatis
 fimique vapores in caput exhalant
 quibus dum animalis facultas tãquam
 fericis vinculis aureisque catenu-
 molliter vincitur, sensus quoque orga-
 nes placidissimè conquiescunt; &

quie-
 ut
 po
 h
 S
 p
 r
 p
 d
 q
 co
 pe
 ho
 sa
 ju
 le
 fu
 L
 c
 m
 q
 a
 l
 c

quiem illam toti corpori largiuntur, qua nec musica Pythagoræis, nec solitudo Epimenidi, nec Luna denique amasio suo Endymioni gratiorem unquam immiscere, aut suaviorem & magis delinificam, ut inde profecto concludere possimus, quod sicut apud Liuium somnus dicitur esse altissimus Decade 13
lib. 7. secunda noctis vigilia, ita etiam ille suauissimus ab Euripide meritò appelletur qui contingit sub Auroram; cuius rei signum Oneiromantes quoque sagaciter inde colligunt, quòd somnia hoc præsertim extremæ quietis tempore, verissima contingunt ac velut è cornea porta mere delibata,

Qua veris facilis datur exitus umbris, Virg. 5. Æn.
neid.
quantumuis eorum opinioni contradicant Epicurus, Metrodorus, Zenophanes & alij, quibus hæc somnia vere *ὄνειρα* dicebantur, tanquam res prorsus nihili, tantum abest ut cum Sylla concederent nihil certius nihilque fide dignius esse quàm quod per somnium fuerit præsignatum; sed utcumque somnia ipsa fide sublesta

censeantur, negari tamen minimè potest extremæ fore demètiæ argumentum non hoc somni beneficium quod tam suaue & jucundum natura nobis elargitur, quàm diutissimè fieri potest in usum & commoda nostra conuertere; præsertim cum nocturnæ lucubrations quibus ipsum succedere volumus, dummodo prudenter & moderate instituantur, commodum potius quàm perniciem corpori afferant, humores superfluos per halitum digerendo, uniuersumque corporis habitum ex Galeni sententia exsiccando, atque etiam ut Salernitani volunt, ad quos versus ille communiter refertur,

2. de vit.
tu in a-
cutis cap.
55.

li. 7. Met.

Ieiunent, vigilent, sitiant, qui rheumata curant.

catharos & destillationes, socias illarum eruditorum cruces, non minus promptè quàm feliciter comprimendo, sensibili peccantium humorum euacuatione; quos quidem vix alteri causa quàm immoderato somno statim à cæna suscepto ortum incrementumque suum debere fatendum est, quando quidem

quidem sicut Cassio non ignobili inter antiquos Medico consentaneum videtur, transmissa ad caput materia quæ ob astrictionem somni ratione factam exhalare transpirareque non potest, frigida inde & humida cerebri intemperies augetur, quæ morbosam sensim accersit & fouet; cum ex Galieno somnus uberius crudos humores digeri non permittat; & sanguis ipse, prout Hippocrati placet, eadem de causa frigidior solito reddatur. Quæ incommoda si quis parui facienda existimet, non equidem per me stabit, quin vitulis marinis gliribusque somnolentior audiat; quin statim atque Sol occidit, Morpheo ipsi mola ex lactucis, nymphæa, papauere, cicuta, hyoscyamo, mandragora litet; quin denique ignavi domum & penetralia Somni adeat,

12. meth.

*De flatib.
textu 10.*

*Quo nunquam radijs oriens mediisve
cadensve* *Ouid. 4.
Metam.*

*Phæbus adire potest, nebula caligine
mista*

*Exhalantur humo, dubiaq; crepuscula
Lucis.*

*Agel. lib.
2. cap. 1.*

Verum non istud saltem exemplo maximorum virorum facient, quibus pulcherrimum visum est, labentis somni illecebras, imperiosamque aliquando tyrannidem modis omnibus coercere. Non Socratis quidem, qui corporis tantum gratia ad fortuitas patientiæ vices confirmandi, stare solitus dicitur, pertinaci statu perdius atque pernox à summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iisdem in vestigijs & ore atque oculis eundem in locum defixis cogitabundus, tanquam quodam processu mentis atque animi facto à corpore;

Laer. lib.

5.

A. Marcell. lib. 16.

non Aristotelis aut Alexandri quos fama est diuersorum auctorum consensione firmata, cum se ad quiescendum componerent, brachio extensibile protenso, pilam tenuisse argenteam, supposita pelui ænea, eo nimis consilio ut cum dormiētium manu excussa sphæra in subjectum vas incidisset, sono illius exciti confurgerent; non Zenonis Cittici, qui referente Laërtio,

Insta

vespertinis salubriora?

89

Instabat grauibus studijs noctesque lib. 3. Cael.
Rhodig.
diésque:

non Porcij Latronis, qui dies noctibus
jungebat, & incoëpta studia non pote-
rat ullo modo interrumpere, sed ne-
que Bruti aut Athenodori Philosophi, Plutarch.
in Bruto.
Plin. epist.
27. lib. 7. qui noctis concubiæ silentio, hic ge-
nium suum, alter vero senis cujusdam
idolum catenis reuincti proprijs ocu-
lis usurparunt; vel Scopeliani Sophi-
stæ, quem Philostratus omnium homi-
num ἀπινότατον appellabat, quòd lucu-
brationes à vespera ad diluculum pro-
trahere consueuisset; aut Aristophanis
denique, Demosthenis, Epicteti, &
Antonij Codri Vrci insignis superio-
ri ætate Critici, quos omnes λυχνόβιαις
fuisse etsi vetustas ipsa taceret, nun-
quam tamen ipsorum lucernæ hoc u-
num ignorari permittent; quæ mor-
tales cunctos detinent admiratione
tantæ virtutis & diligentia; ut nunc
mihi planè superfluum videatur & in-
utile vel Lucretium proferre sic ad
Memmium scribentem,

*Sed tua me virtus, simul & sperata vo-
luptas*

*Dulcis amicitia, suauem hunc perferre
laborem*

lib. 3.

*Suadet, & inducit noctes vigilare se-
renas.*

vel Horatium iuuenes hoc modo ad
Græcorum sapientiæ studia compel-
lentem,

vos exemplaria Græca,

Nocturna versate manu, versate diurna.
vel Statium uxori suæ ita gratulan-
tem,

Tu procurrentia primis

3. Syluar.

*Carmina nostra sonis, totasque in mur-
mure noctes,*

Aure rapis vigili.

vel Virgilium,

*Qui tot congestit noctesque diésque la-
bores.*

Sydon. e-
pif. 10. lib.
41.

aut nobiles tandem melioris illius æ-
ui fœminas, quas inter Martia Hor-
tensio, Terentia Tullio, Calpurnia
Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticana
Symmacho legentibus meditantibus-
que Lychnulos & candelas tenuere;
maximè verò cùm tot validis rationi-
bus, totque illustribus exemplis con-
fectum

fectum sit, vespertinas lucubrationes non aded fore damnosas quemadmodum multi sibi persuadent, nec tãtam esse nocturni somni necessitatem, quin multi studiosorum cum ita postulat occasio, ferias illi ac justitium indicare possint; non secus omnino ac olim fecere maximi illi viri Euclides dum Agell. lib. 6. c. 10. noctu Megaris Athenas proficisceretur ad audiendum Socratem; Cleantes qui hauriendis aquis, & Plautus qui molis trusatilibus versandis, vitam sibi quanquam nocturnæ quietis dispendio quæritabant; & è nostris quidem Dorotheus Thebanus apud lib. 6. cap. 9. Sozomenum, qui nunquam visus est in Storea vel lectulo dormire, aut pedes quo corpus relaxaret extendere, vel sua sponte quieti se dare; Adrianusque præterea ejus nominis Pontifex sextus, & Augustinus Steuchus Eugubinus, quos inter luctandum cum studijs & angustioris vitæ miserijs, sæpe videre fuit ad Ellychnios, noctu in templis aut compitis collucentes legendi desiderio accessisse; atque ut modum in

tot exemplis retineam, Petrus ille Celen-
 lensis Abbas, cujus verbis ad Bernere-
 dum Abbatem quoque sancti Crispi-
 ni, cum sanè pulcherrima sint, ulti-
 mum veluti colorem ac purpurissum
 addam istis omnibus, quæ valde qui-
 dem probabiliter dicta sunt pro stabi-
 lienda contra nonnullorum opinionem
 nocturna lucubratione, *Cariora*, inquit
 igitur ille, *mihî, fortè & utiliora sunt spa-
 tia nocturnalìa quàm diurna, siquidem
 diurna accersitis hinc inde & contraductis
 copiosarum opinionum cateruis, animam
 meam de manibus meis tollunt, & me mi-
 hi tam violenter quàm fraudulentè quo-
 tidie subtrahunt, Hyemales autem nocte
 sua prolixitate non fastidium aut tædium
 sed interdum duplex beneficium conferunt,
 tribuunt etenim corpori requiem, & animam
 renouant vetustatem, addunt insuper illi
 centiam reuisendi cœlestia, sua penetrantia
 inquirendi, nec non & amicorum reminis-
 scendi. Istis igitur sic in utramque par-
 tem vtilitatis agitatisque, si modo per-
 cunctetur aliquis quænam mihi potior
 aut validioribus innixa rationum mo-
 menti*

epist. 1. lib. 5.

mentis videatur, non equidem facile dixerim; adeo hinc & inde sua cuilibet opinioni præsidia non desunt, egregia sanè nec sibi inuicem, si ab æquis iudicibus attentè considerentur, quidquam concedent; Nihilominus si quid in hac difficultate statuendum est, consentaneum certe arbitror, eo usque unde illa primum deriuata est sermonem etiam repetere, illudque pro fundamento statuere, quod summus artis nostræ dictator Hippocrates passim in suis operibus præsupponit; nimirum ut corpus à violentis laboribus sic animam quoque à naturalibus exficcare, visu siquidem auditu, voce, solitudine dum occupata detinetur, spiritus quorum subsidio hæc munia obire solet sensim commouentur, incandescunt, humorémq; primigenium depopulantur & consumunt; cuius tandem defectu corpus uniuersum exficcare, marcescere, graciliúsque effici omnino est necessum, ut propterea etiam rectè dixerit Plato *cum disciplinis quibusdam & investigationibus efficaciter*

incubuerit anima liquefacit, & Galenus
 lib. de parua pilæ exercitio, *φρονις δὲ*
μόνη καταλεπτοῦσι, sollicitudo sola corpus
extenuat, multique auctores unica fa-
ciæ macredine studiosum hominem
designare voluerint, quemadmodum
Nealcus flumen Nili crocodilo, aut
cæteri pictores Palladem ægide, huc
enim illa Iuuenalis pertinent,

Satyr. 7.

Qui facis in parua sublimia carmina cella,
Vt dignus venias hederis & imagine me-
cra.

& isthæc etiam Ægidij Corboliensis
 Medici oppidò perelegantis, & non-
 dum quod sciam typis demandati,

In prolog.
 lib. de cõ-
 posi. Med.

Inter Cirreâs Dea plus celebrâda sorores
Parnassi byugo nutrita cacumine mōtis
Lauro nexa comas, vultus pallore decens
Et facie macra famulã confessa Minerva

lib. i.

sed nec aliunde multi ipsius Mineruæ
 etymon deducunt, quàm à minnendis
 viribus, aut Palladis similiter quàm à
 pallore, qui Martiano Capelle unicū
 esse dicitur lucubrationum præmium;
 nec hercle meo iudicio perperam aut
 absque insigni ratione, cum acceden-
 tibus

vespertinis salubriora?

95

tibus ad studiorum difficultatem vigi-
lijs, omnino jam de salute conclama-
tum sit, nec spes ulla relinquatur opti-
mi saltem habitus & coloris retinēdi,

Archytē.
lib. 3. cap. 11.

dum pugil improbus hæres

Sudat Aristotelis, oculum mordente
lucerna,

Dum pallens studio, & marcens oleo
ardet utroque

Languidus insomnis.

aut quemadmodum inquit Cassius
Parmensis, dum

nocturno insomnis oliuo

Immoritur.

unde & eadem de causa Cherophon- *in aui-*
tem tragœdiarum scriptorem auctor *bua.*

est Aristophanes, tanta fuisse corporis
tenuitate à lucubrationibus contracta,

ut à multis noctua fuerit per jocum
appellatus; & quod rectè colligit Mer-

curialis, Cicero non ob aliud summa *lib. de dec.*
fuisse corporis gracilitate dicatur à *cap. 7.*

Plutarcho, quàm ob assiduas lucubra-
tiones, quas in vita exercuit & de qui-

bus adeo frequenter suis in operibus
meminit, ut nulla prorsus alia de re

*5. de sani-
tate tuæd.
6 II.*

cap. 5.

magis: quin etiam docet Galenus Pre-
migenem Peripateticorum sua ætate
nemini secundum, qui plurimum do-
mi versabatur, ibique scribens vel ie-
gens perseuerabat, toties in febrem
incidisse, quoties balneorum usu calo-
rem sui corporis acriorem factum tem-
perare, partesque resiccatas laxare ac
humectare negligebat: & tertio de lo-
cis affectis iuuenis cuiusdam exemplum
affert, qui ob laborem in studijs conti-
nuum memoriæ jacturam penè fece-
rat, læsa etiam ratiocinatricis animæ
partis functione. Quare cum hæc ita
se habeant luce jam meridiana clarior
existimo, quod studia ipsa per se & abs-
que ullius conditionis interuentu quam
summæ animi applicationis, confide-
rata, sanitati plurimum officiant, id
que tum præsertim majori periculo ob-
ficiant cum per damnosas lucubratio-
num fuligines fuerint continuata. Ve-
rum cum lucubrationis nomen plane
ambiguum sit, & omnibus communiter
studijs quæ tam vespere quam antelu-
canis horis suscipiuntur, ut etiam Co-
lumel

lumellæ diligentissimo scriptori lucubrationem vespertinam & antelucanam cum additamento nominare necessum fuerit; proculdubio incertum plane nobis relinquitur ex tot adductis scriptorū auctoritatibus & exemplis, de quibusnam lucubrationibus maxima pars illorum veniat intelligenda; quod certè negotij non minimum facessit in propositæ quæstionis enodatione. Quanquam non una tantum aut altera distinctione resolui potest. Cùm istud in primis valde consentaneum sit asserere, nimirum omnes lucubrationes, siue illæ vespertinæ aut antelucanæ sint, quæ modum excedunt, esse majorem in modum optimæ valetudini infensas; cum ob allatas hîc & in priori parte quæstionis rationes, tum verò præsertim ob celeberrimum istud & creberrimū in scholis Hippocratis oraculum, ὕπνος, ἀγρυπνία, ἀμφοτέρω τῶν μετέωρον μᾶλλον γινόμενα κακόν, somnus, vigilia, utraq; modum excedentia malum. Deinde vero quæ à cœna instituuntur longè grauioribus in-

commodis esse obnoxias, ijs, quæ statim à somno & jam elaborata ciborum coctione, quoniam, ut inquit Galenus, somni profundiores non parum ad ciborum concoctionem conferunt; unde qui vespertinis studijs necessario addicti viuunt mancipatique, hoc unum præ ceteris diligenter seruare debent,

Horat. lib.
2. Satyr.
Satyr. 2.

ne simul assis

Miscuerint elixa, simul cõchyliã turbida.

ut ventriculi primum ratione habeant diuersa hæc edulia difficillimè coctientis, tum vigiliarum quæ hunc solito debiliorem reddunt; & magnorum etiam virorum exemplis obtulerent, Demosthenis præcipuè & Ciceronis; cùm istius orationes Plurarchus dixerit aquæ potum referre, aliter verò ut probro objectum fuerit.

in Cicer.

*Dio. lib. 6.
hist.*

Quinto Furio Galeno pro Marco Antonio in Senatu dicente, quod aqua biberet, ut sermones posset contra Pertritos Romanos elucubrare. Tertium eam vim esse consuetudinis in omnibus hoc etiam Imperiũ in corporis actibus

nes, ut qui serotinis ejusmodi lucubrationsibus assueti viuunt, minime tamen aut saltem non ita violenter illarum noxas persentiscant; quoniam, ut inquit Hippocrates, *Cōsuetā longo tempore etiam si deteriora sint, insuetis minus molesta esse solent*; & qui multa sæpe ac graua sunt perpeffi facilius deinde ferunt quidquid accidit, obduruisseque sese contra fortunas arbitrantur, ut ille meritò apud Euripidem,

Si mihi nūc tristis primū illūxisset dies,

Nec tam arumoso nauigassem salo,

Esset dolendi causa; ut injecto equulei

Frēno repente tactu exagitantur nerui:

Sed jam subjectus miserijs obstupui.

Quod item dicere possemus de illis qui non modo statim à cœna se lucubrationsibus accingunt, sed de Fabris ferrarijs, lignarijs, rusticis & quibusvis hominibus lucro viliori ac sordido addictis; qui etsi vehementi exercitatione à prandio & cœna perpetuò usi, vitam diutissime tamen protrahūt, contrariamque animis hominum opinionem inducunt, huic quæ ex Medico

rum placitis docet, omnem exercitationem à cibo summopere noxiam esse & humanæ vitæ commodis è directo contrariam. Ac tandè ultimo hanc quoque lucubrâdi rationem iniri posse, quàm Liuius noster Illustrissimus Thuanus, ab Æmaro Ranconeto in Parisiensi Curia alterius inquisitoriarum classium Præside ad miraculum studioso eruditóque, obseruatam fuisse narrat. is quippe leui cibo sumpto cum se quieti dedisset, nocte concubia primóq; somno exacto, surgebat eadè fere hora qua Cœnobitę nostri ad preces matutinas fundendas quotidie surgunt, & cucullo perinde ut illi capite obnubebat, vestimento ad frigus ab humeris, ceruice, & auriculis arcèdum accommodato; tum quatuor horas continuas lectioni ac meditationi impendebat, quibus elapsis rursus se ad quietem cõponebat, & quod plerumque priore meditatione ingeniosè inchoauerat, statim ab illo placido somno expergefactus felicissime perficiebat. Quod equidem sapientissimi viri conf

*lib. 23. historiæ.
anno 1559.*

consilium, multa certè me adducunt
ut ab alijs utiliter quoq; usurpari posse
mihi persuadeam. Ecquis enim non
paratior ad studendum accedit, defæ-
cato post primam quietem ingenio, &
silentio ac noctis obscuro adjutus, ne-
minèque ut interdiu contingere solet
meditationem interrumpente? Ecquis
etiam non sanior aut robustior ab hoc
exercitio recedit, cum interciso in hunc
modum somno, pituitam ex prima co-
ctione ut multorum opinio est in sto-
macho redundantem purgare atq; ex-
cernere liceat, quæ in continuato den-
satur, ventriculo adhæret, tractuque
temporis noxios humores gignit, &
studioforum sanitatem penitus labefa-
ctat & dejicit? Accedit demum exem-
plum illud quod habemus familiare in
Ascetis strictiorisque vitæ genus pro-
fessis, qui eadem noctis tempestate, ad
laudes omnipotenti Deo dicendas cõ-
surgunt; licet eorum mores & institu-
ta in ijs præcipuè quæ ad vitæ ratio-
nem & valetudinem spectant, nihil o-
mnino complectantur non maxima

utilitate summâque prudentia exco-
gitatum. Quamquam & si quid inde
detrimenti pateretur calor natiuus, ut
(quod exempli tantum causa refero)
nimia spirituum dissolutione, vel in-
tercepta ciborum concoctione, som-
nus succedens id totum facili negotio
reparare possit; quem propterea non
secus post eiusmodi vigilias laudamus,

*lib. 1. cap.
36. 3. Sym-
pos. probl.*

ac Paulus Ægineta, & Plutarchus post
plenam & optabilem nuptialis officij
consuetudinem, ut collabentes nimis
rum fractâsque in utroque eiusmodi
naturæ conatu vires probè reficiat, se-
que tandem titulis dignum ostendat
quibus illum compellat Ouidius in
Metamorphosi,

lib. 11.

*Somme quies rerum, placidissime somni
Deorum,*

*Pax animi quem cura fugit, qui corpora
duris*

*Fessa ministerijs mulces reparâsque
quieti.*

Autori

Autori Benemerito.

F Astidioso est deuia culmine
 Tendens ad aulam Pieridum via,
 Et improbo decet labore
 Scandere Apollineum cacumen.

Antiquiores immerito tamen
 Damnare vitam, curta scientia
 Quod impar addiscenda, inanes
 Precipitet studij labores.

NAVDAVS aptum dum studijs docet
 Tempus, volantis curriculum docet
 Equare vita, cum sacrata,
 Tramite Castalio Minerua.

Prait sequaces omine prospero;
 Adhuc iuuenta in limine, qualibet
 In arte praestat; helluonis
 Pegasij cumulans honores.

ROBERTVS FARVACQVE
 Philosophiae & Med. Doct.

G iij



*Illustrissimo & Reuerendissimo
Domino, Domino*

THADÆO COLICOLA
S. D. N. VRBANI VIII.
Medico à Cubiculo, &
Canonico Vati-
cano

GABRIEL NAVDÆVS S. P. D.

POST QVAM nuper ex Fla-
mixia, atque etiam ex are
in qua me ad Lauream ex
cui, in urbem cum optimo,
munificentissimo meo Mecœnate Cardini-
li à Balneo reuersus, Quæstionem hanc
ventilandam meo more discutiendamque
suscepi, Thadæe Colicola Medicorum
consultissime, libenter sum adductus, et
lege, qua apud Symmachum cauetur, ut
Primi artis ejusdem de nouorum sciẽ-
tia

Ep. 40. lib.
10.

tia judicarent, ut hanc qualiscunque sit, acri tuæ censura, non minus profectò, quàm eximio candori submitterem: siue enim in tuam ætatem respicio, quæ per omnes honorum, & laborum gradus inoffensè decurrens, ad simile decus fauste, feliciterque peruenit; seu peritiam in medendo, qua cunctis qui se Tibi commiserunt, diuina quasi sanandi facultate præditus, opem attulisti; seu deniq; morum integritatem, & honestatem, quâ sapienter Te cum inter amicos, tum in priuata vitæ consuetudine, tum inter Principes, & Aulicorum conuersatione composuisti, ea sanè ejusmodi mihi videntur esse omnia, ut Te non solum Iacobo illi Damasceno similem reddant, quem Suidas ob egregiam artis peritiam, & in tractandis agrorum affectibus felicitatem, communi omnium ore $\sigma\omega\tau\eta\epsilon\alpha$ appellatum fuisse narrat. Nec unum Te modo inter istius æui Medicos esse testentur, quem præ cæteris

condit honestas

Ornat relligio, depingit gratia morû;

Qui Physicæ leges, veterum qui scri-
pta parentum

Æg. Cor.
bol. m. sc.
lib. 3.

Pectore clausa tenes, humili sermo-
 ne modestus,
 Et verbo resonans mentis, non ver-
 bere linguæ,
 Quem non exaltat fatuæ præsum-
 ptio mentis
 Interpres, nec laudis inops jactantia
 tollit.

*Sed quæ præterea ostendunt suprema illius
 dignitatis apicem, quam tot exculti ingenij
 dotibus ornas, & sustines apud Principem
 omnium Optimum Maximum, nemini re-
 ctiùs, aut conuenientiùs, quàm tibi confer-
 ri potuisse, qui totius orbis salutem foues,
 cunctorumque vota cumulas, incolumita-
 tem ejus, quam boni omnes si fieri posset æ-
 ternam vellent, tam prosperè, inculpate,
 conseruando. Quamobrem cum tot nomi-
 nibus, primum ut meriti, sic etiam digni-
 tatis locum inter urbis, & orbis Medicos
 tibi asserueris, ego verò nouissimum inter
 illos obtineam; nulla quidem ratione mi-
 hi committendum esse putauì, ut disserta-
 tionis ipsius tutelam, non tibi commenda-
 rem, cujus jam antea summam humanita-
 tem sum expertus, & eam mihi in po-
 sterum,*

sterum, quæ tua est incredibilis in omnes
comitas, & benevolentia, non defuturam
spero.

Dabam Romæ IV. Kal. Martij
Anno M. DC. XXXV.



QVÆST. QVARTA
IATROPHI-
LOGICA.

An liceat Medico fallere ægrotum?

GRAVITER certè & iniquo
animo paterer, THADÆE
COLICOLA, dulce decus
& præsidium Medicinæ,
quæstionem hanc, quam Iupercalibus
istis, dum

Scena sonat, ludique vocant, spectant — Ouid: 4.
Fast.

que Quirites,

Et fora Marte suo litigiosa vacant;